

AMPLISSIMIS AC CONSULTISSIMIS VIRIS,

de *Re* Civitatis, tum *Publicâ*, tum *Literariâ*, præclarè meritis;

Cl^mo. D.D. *ANDREÆ RAMISÆO*, ab *Abbots-hall*, Equiti aurato, Civitatis *Edinburgi* Consuli Ornatissimo:

D.D. *THOMÆ MORAVIO, GEORGIO DRUMMUNDO, IOANNI HALLO, ARCHIBALDO HAMILTONO*, Prætoribus Æquissimis: FRANCISCO KINNALOCHIO, Ædili vigilantissimo; ANDREÆ SKEENÆO, Quæstori fidelissimo:

Cæterisque Inclytæ Civitatis Senatoribus prudentissimis, Almæ Matris *Universitatis JACOBI* REGIS *Edinburgenæ* Parentibus & Altoribus, Magnificis, Munificis, Æternum Honorandis:

Theses has Philosophicas, pro quibus in Comitiis Publicis, in Publico Academiæ Auditorio, die 19. *Julii* 1669.

(sub Præsidio *JACOBI PILANI*) ΣΥΝ ΘΕΩ pro virili stabimus, D. D. CQ.

Alexander Dalglisius.	*Andreas Strangius.*	*Guilielmus Weddropus.*	*Jacobus Major.*	*Ioannes Harperus*	*Ioannes Purdomius.*	*Robertus M^cgrutherus.*
Alexander Duglassius.	*Archibaldus Jonstonus.*	*Henricus Kinneir.*	*Jacobus Shorsvodus.*	*Ioannes Horsburgius* maj.	*Michael Lumsdenus.*	*Robertus Sinclarus.*
Alexander Graius.	*Georgius Moodius.*	*Jacobus Crawfurdius.*	*Jacobus Stephanides.*	*Ioannes Horsburgius* min.	*Patricius Hastius.*	*Samuel Muatus.*
Alexander Humius.	*Gilbertus Eliotus.*	*Jacobus Crystius,*	*Ioannes Adius.*	*Ioannes Humius.*	*Robertus Burnatus.*	*Thomas Harperus.*
Alexander Mongomerius.	*Guilielmus Knoxius.*	*Jacobus Humius* major.	*Ioannes Aitonus.*	*Ioannes Mabanus.*	*Robertus Johnstonus.*	*Thomas Millerius.*
Alexander Robertsonus.	*Guilielmus Laingius.*	*Jacobus Humius* minor.	*Ioannes Cleelandius.*	*Ioannes Moravius.*	*Robertus Lawsonus.*	*Thomas Spirius.*
Alexander Stewartus.	*Guilielmus Stephanides.*	*Jacobus Hunterus.*				

THESES LOGICÆ.



IPsa Ingenuitatis forma posita est in *Mentis ac Morum culturâ*: dum scilicet Mens lumine Scientiarum Appetitui facem quasi prælert & viam commonstrat; Appetitus verò moderamini Rationis suaviter addictus, ab hujus consilio & ductu prorsus absque omni tergiversatione pendet, tum in Electione, tum etiam in Fugâ. 2. Adeoque Civitatis Philosophicæ, nisi impropriè, & ratione quâdam secundariâ Municipes non erunt, vel ipsæ tres illæ *Artes Organicæ*, omnium, quæ vulgo *Liberales & Ingenuæ*, audiunt, præstantissima, *Grammatica*, nempe *Rhetorica, & Logica* 3. Cumque ad Felicitatem (Civilem scilicet & hujus vitæ, quatenus ea Naturæ viribus acquiri potest) integrandam conspirent, *primò* in rebus Necessarijs & per se scitu dignis, *Veri cognitio*; deinde in Moralibus, *Boni actio*: Sicut in Felicitate naturali acquirendâ utramque paginam faciet *Philosophia*, quæ Prudentiæ, atque omnium Scientiarum quædam est quasi aggregatio: Ita sola Philosophia Contemplativa & Activa, *Disciplinarum Ingenuarum* nomine propriè & primariò insigniri debent. 4. Itque imbuti & earum professores imprimis esse *Ingenui*.

II. *Genus & Species*, licet sint Relata, non tamen repugnat *Genus* esse *Speciem*. 2. Ut nec ipsum *Universale*, & *Quinque Voces*, sine omni absurdo singula fere singulorum naturam & nomen mutuò, ac quasi reciprocè induere. 3. Ut nec *Genus* esse *Genus*, etiam respectu *Individuorum*. 4. Ac proinde de *Hoc animali*, non ad modum *Speciei*, sed *Generis* prædicabitur *Animal*. 5. In prædicatione tamen, *Hoc animal est animal*, *Animali* non immediatè subjicitur *Hoc animal*. 6. Et sicuti *Genus*, respectu *Speciei*; Ita vicissim *Species* respectu *Generis*, est & *Totum*, & *Pars*. 7. Neque altera Relatio alteram absorbet aut expellit. 8. Ac proinde utrumque completè prædicabitur. 9. Ita ut Individuum quocunque Nomine significatum, re idem sit cum Individuo significato Nomine proprio. 10. Ergo hæc etiam est prædicatio Generis de Individuo, *Hoc vivens est Animal*: Hæc item est Speciei de suo Individuo, *Hoc vivens est homo*. 11. Imo si per *Hoc album* monstretur *Socrates*, prædicatio essentialis erit hæc, *Hoc album est Homo*.

III. Quodcunque est actu in *Animali*, totum est tam in *Bruto*, quam in *Homine*. 2. Et propterea Differentia in Genere, non *Actu*, sive distincto, sive confuso, sed *Potentiâ* tantùm continebitur; *Porph. Cap. 3. Part. 16.* 3. Genus tamen ferè nobiliore Differentiâ contrahitur in unâ, quam in aliâ Specie. 4. Verum hoc non impedit, quo minus Genus de Specie ignobiliore, æquè ac de nobiliore prædicetur.

IV. Relatio est quid reale; sed non realiter, aut ex naturâ rei, distinctum à suo *Fundamento*. 2. Et licet *Albo* aliquo Romæ producto, sine mutatione a iquâ *Albi* hic existentis, oriatur statim nova Relatio *Similitudinis hujus Albi* cum *illo*, & tantum acquiratur nova Denominatio, ex coëxistentiâ Termini. 3. Ipsa tamen *Similitudo* non est Denominatio extrinseca, sed significat aliquid realiter & intrinsecè inhærens. 4. Hinc merito Relatio est *Fundamentum* & *Terminus*. 5. Unde & duplex in eâ includitur conceptus absolutus; *Subjecti* nempe, alter: Alter, *Fundamenti*. 6. Relatum unâ & eâdem Relatione ad plures Terminos *inadæquatos*; ad plures *adæquatos*, non nisi pluribus; at Ratione duntaxat distinctis, refertur. 7 Potest Relatio immediatè fundari tàm in Substantiâ, quàm in Quantitate aut Qualitate. 8. Adeo ut non necesse sit, omne Accidens prædicamentale vel esse Accidens Physicum, vel per inhærentiam Physicam Subjecto inesse. 9. Nec ad fundandam identitatem in Categoriâ substantiæ sufficiat Relatio *Similitudinis*.

V. *Accidens* omne quidem prædicatur in *Quale*. 2. At solis Accidentibus in Categoria Qualitatis sic peculiare est, rem denominare *qualem*; ut cum alia Accidentia, alijs quæstionibus satisfaciendo, suum Substantiam afficiendi Modum declarent; Qualitates hanc solam quæstionem habeant, quâ declarent Modum quo ipsæ Substantiam afficiunt. 3. Difficultas assignandi essentiales Specierum ejus, quas affert *Aristoteles*, differentias, quaternarium earum numerum non imminuit. 4. Ut nec eundem, ne quidem in prima Specie, multiplicat duplex singularum appellatio. 5 Nec dubitavit *Aristoteles*, Divisionem illam suam esse adæquatam. 6. Et subtilitèr nimium Philosophantur, qui dicunt, fieri posse, ut Qualitas aliqua (*v. g. Scientia*) per primum actum acquisita, habeat essentiam *Habitûs*; statum vero, *Dispositionis*: & contra, essentiam *Dispositionis*: statum vero, *Habitûs*; *v. g. Opinio*, per actuum frequentationem radicata. 7. Ita ut Dispositio in Habitum transire possit Ratione *status*, licet non Ratione *essentiæ*: & vice versâ, *Habitus* non quidem remeare ad Dispositionis *essentiam*, sed ad *statum* ejus se denuò quasi submittere. 8. Quibus ineptijs & inanijs, Quid, quæsumus, inanius aut ineptius esse possit?

THESES ETHICÆ

NUlli Creaturarum suarum negavit *Deus* vires, ad destinatum ab ipso finem consequendum necessarias & debitas 2. Ex ipsa igitur Creatione vilior & imperfectior non fuit Hominis, quam cæterarum Creaturarum conditio. 3. Ac proinde, Originalis *Adami* Justitia, fuit Conditio, sive, Perfectio; non quidem supernaturalis (naturæ scilicit humanæ superaddita, ut volunt *Papani*) sed debita & naturalis, illi congrua; sine quâ, tanquam ipsius Animæ Rationalis excellentiâ, plane ineptus fuisset ad attingendum Creationis suæ finem, nempe, *Dei Glorificationem*. 4. Adeoque peccatum Originale, quod in Originalis Justitiæ locum successit fœtus est Naturæ, non prout à *DEO* conditæ sed prout *Adami* transgressione vitiatæ & contaminatæ. 5. Homo igitur lapsus non habet eandem, quam in Creatione, potentiam operandi Bonum 6. Sed peccat, & *necessariò*, quia à suâ pravitate determinatur ad Peccatum in communi; & tamen *liberè*, quia circa particularia Peccata habet Indifferentiam & Libertatem sine Determinatione necessariâ. 7. Nec Irresistibilitas Gratiæ naturam Voluntatis evertit, licet cum Libertate Indifferentiæ Jesuiticæ non consistat. 8. Cum tali igitur Determinatione, potest actio esse *Spontanea*. 9 Ita ut actio Sanctorum in Cœlis Deum laudantium maximè *Voluntaria* sit, licet tum ad Objectum, tum ad Actum determinata. 10. Et quàm Felix est illa Libertatis jactura, quæ nos ex verâ peccati servitute plusquam Ægyptiacâ emancipatos, vera libertate *Filiorum DEI*, illique liberali servitute serviendi, supra omnem Terrenam Libertatem evectos, Municipes facit, & Hæredes Regni Cælorum 11. Et Palladium illud Romanensium *Liberum Arbitrium* est Originalis Peccati, à Pelagianis negati, quasi Basilisci, Ovum pestiferum & funestum 12. Eo tamen, velut Tibicine, suffulta est tota apud eos inclinata penè nunc *Meritorum* impostura, *Indulgentiarum* nundinatio, & reliqua id genus, nummorum potius aucupia, quam animarum Christo lucratio. 13. Ejusdemque impuri Fontis rivuli sunt, non sola φιλαυτία, atque αὐθάδεια, sed & αὐτοκολακεία, ac reliquæ Corruptæ Naturæ pravitates; universo quidem Generi Humano nunc post lapsum connaturales. 14 Sed in his majore; in alijs, minore animi præfidentiâ & supercilio sese exerentes, pro suâ uniuscujusque ἰδιοσυγκρασία.

THESES PHYSICÆ.

NAturæ nomen latè quidem, impropriè tamen, significat Ordinem & Nexum illum quem Supremus ille rerum Opifex *Deus Gloriosus* in Universi Fabrica, hoc consilio, pro infinitâ suâ Sapientiâ instituit, ut sic Mundi partes, earumque Effectus ad Totius & ipsarum uniuscujusq; Conservationem & Ornatum necessarij, certâ quâdam serie & lege cohærerent: aliæque ex aliis arctissimâ quâdam conjunctione dependentes, pro efficacissimo arbitrio *Illius* qui hanc iis Legem imposuit, Virtutes & Effectus suos dum in commune contribuunt, sibimet simul etiam singulæ seorsùm consulerent. 2. Hic igitur Mundi Ordo tantâ Virtutis & Sapientiæ excellentiâ primitùs constitutus, Nullâ (à Mundi primordio ad hunc usque diem) opus habet vel adjectione vel detractione. 3. Ac proinde Hominum Sapientia ac reliquæ *Virtutes Ethnicorum Heroicæ* ita *DEO* sunt immediatè adscribendæ, ut nihil videri possit inexhaustæ ejus Sapientiæ ac Liberalitati detractum, si dicantur ejusmodi Dotes ac Facultates pendere à serie & harmoniâ Causarum naturalium, quas *Deus* ad eum finem primitùs designavit. 4. *Naturam* itaque *Dei Ministram* ab *Aristotele*, ut talem, non satis intellectam; cum *Illo* tamen non absurdè specialius sic definimus, *Formam Substantialem, quæ rei dat esse & operari*. 5. Neque sic à *Natura* ratione excludimus *Materiam*, quam *Aristoteles* inter Principia Corporis Physici constitutiva enumerat. 6 Vel adhuc, cum eodem *Aristotele* ad rem præsentem accomodatiùs, *Contemperationem quatuor Primarum Qualitatum quæ in Homine eum reddunt habilem aut inhabilem*, i.e. *aptum aut ineptum ad benè, vel secùs operandum*. 7. A Naturâ autem hoc modo acceptâ, existimamus, promanare Naturales Hominum omnium ad Virtutes aut Vitia Propensiones; ut & admirabilem illam in iis Ingeniorum varietatem: & tantæ illius varietatis tam difformes ac discrepantes Fructus & Effectus. 8. Constanter siquidem experimur, unumquemque Hominem, pro diversâ illâ Propensione & Inclinatione a Naturali ipsius Temperamento profluente, pro Ætate, Statu & Studio non quidem Facultatibus suis, sed ipsa meridianâ luce manifestiùs, Facultatum operationibus (quas in Scholis, *Actus Secundos* appellamus) primum *crescere*; deinde, *consistere*; ac tandem rursus *decrescere*, & ad interitum usque quasi *languescere*. 9. Hoc enim neutiquam existimandum est, ab ipsâ ejus *Anima Rationali* provenire, quæ per omnem vitam eadem manens, Facultatibus & Substantiâ suâ nec augetur nec diminuitur, nec ullam propriè patitur Alterationem Physicam. 10. Hinc merito concludimus unicuique Hominum, Naturam esse suum ipsius *Temperamentum*, quod eum reddit ad quamcunque vitæ Rationem magis minusve habilem & idoneum. 11. Ita tamen, ut homo semper (dum hæc quasi media respicit) *Primam* & *Supremam* omnium *Causam* (*à quâ, per quam, & ad quam* omnia sunt & fiunt) in omnibus supplicitèr ab eâ dependens, suspiciat, veneretur, & adoret.

II. Sine novarum partium Generatione nunquam fit *Accretio*. 2. Non tamen tam *Generatio*, quam *Adgeneratio* dicenda est, quæ jam Genito postmodum accedit. 3. Eadem igitur Materia prout est Substantia, est *Generationis*; & prout est Quanta, est *Accretionis* Materia. 4. Et idcirco fit Accretio ex Materia non potentiâ tantum, sed actu quantâ & corporeâ. 5. In eo igitur salvum manet illud quod augetur. 6. Ac proinde quemadmodum unius *Aquæ cyathi* ex decem *Aëris cyathis* productio, non est *Diminutio*: ita nec decem *Cyathorum Aeris*, ex uno *Aquæ* productio, est *Accretio*. 7. Neque fit illa Mutatio, aliquo recedente; aut hæc aliquo accedente. 8. Augetur igitur, non *Alimentum*, sed *Alitum*. 9. Ita ut tum in Alteratione, tum in Accretione idem maneat Subjectum; sed in illâ Qualitates; in hac, Quantitas mutatur. 10. Hujus tamen utriusque Mutationis principium est in ipso Vivente. 11. Et idcirco Compositum augetur secundùm omnes partes, ratione Formæ; effluentibus interim aliquibus Materiæ partibus, quæ per *Nutritionem* denuò eousque restaurantur; quoad fatiscente Virtute Nutritivâ & Augmentativâ, ipsum quoque tandem deficiat & emoriatur Vivens. 12. Eo tamen ordine, ut fere prius *augeri* desinat, quam *nutriri*. 13. Et ἀτροφία non statim omnem tollat Nutritionem, sed tam parcam & malignam suppeditet, quæ non sufficiat nisi valde brevi conservationi Viventis. 14 Quia vero Accretio fit additâ Materiâ, ideo *Accretio* propriè judicanda non est, *Extensio per Rarefactionem* facta. 15. Utpote tantum ejusdem Quantitatis extensio ad Majorem locum. 16. Non autem novæ Quantitatis acquisitio. 17. Illa igitur Extensio, in quâ (simul cum *Adgeneratione*) essentiam *Accretionis* absurdè satis Nonnulli ponunt non est motus ad *Quantitatem*, sed vel ad *Ubi* vel ad *Qualitatem*. 18. Ita ut *Raritas* magis propriè *Qualitas* sit, quâm *Quantitas*. 19. Et *Rarefactio* & *Condensatio* ad *Alterationem* potius pertineant.

THESES METAPHYSICÆ.

UNio est Materiæ Modus, ab eâ ex naturâ rei *distinctus*. 2. Materia in *fieri* nullam habet Causalitatem distinctam à Generatione Passiva per quam Forma ex ejus potentiâ educitur, ei unitur, & Compositum fit. 3. *In facto esse* nullam habet Causalitatem distinctam ab Unione. 4. Per quam seipsam exhibet Composito, Formam recipiendo & sustentando. 5. Sic enim Compositi naturam constituit. 6 Materia igitur causat quidem per suam *entitatem*. 7. Sed additâ ratione causandi distinctâ, ex Natura rei.

II. *Efficiens*, eo ipso quod agit, Causare intelligitur. 2. Ergo non aliquis in ejus entitate Modus Actione prior. 3. Sed ipsa *Actio* erit Efficientis Causalitas. 4. Neque repugnat, eandem Actionem esse quoque Effectum Efficientis.

THESES ASTRONOMICÆ.

OBliqua est omnis *Sphæra*; In quâ alter Polorum elevatur supra, alter deprimitur intra *Horizontem*. 2. Habitantes igitur sub *Tropico Cancri* Sphæram habent Obliquam. 3. Ac proinde, *Sacroboscum* fefellit (ut videtur) aut codex vitiatus, aut Poeta non rite intellectus; cum de *Sphæra recta* intelligeret illud *Lucani* distichon,

Deprênsum est; hunc esse Locum quo Circulus alti
Solstitij medium Signorum percutit Orbem.

4. Putavit enim *Sacroboscus. Circulo alti Solstitii* designari *Æquinoctialem*; & *Zonæ* illius regionem mediam *Æquatori* subjectam. 5. Verum illis versibus significare voluit Poëta *Catonem* cum reliquiis *Pompejani* Exercitûs, peragrato quod reliquum est ultra Pharsaliam *Zonæ Temperatæ Borealis*, pervenisse ad *Jovis Ammonis* Templum sub Tropico *Cancri* situm; ibique fuisse in ipso ultimo illius *Zonæ* Termino, versus Austrum. 6. Adeoque Tropicum illum meritò vocavit, *Circulum alti Solstitii*. Sol enim in illo puncto suo Cardinali altissimus est Habitantibus sub eo Circulo. 8. ibique *Medium Signorum orbem* percutit, *h. e. Zodiaci Lineam Eclipticam* tangit tantùm, non secat *Tropicum Cancri*.

Syderum Ortus & Occasus suos, Poëtæ ex Astronomorum fontibus hâurunt. 2 Non possunt itaque Poëtici Ortus & Occasus, nisi ex Astronomorum doctrinâ intelligi. 3. Cumque doceant Astronomi, Stellarum omnium fixarum Declinationes mutari, necesse est variari quoque Ortus & Occasus Poëticos, tum Loci, tum etiam Temporis respectu. 4. Quoties ergo Temporum Descriptiones Astronomicas afferunt Poëtæ, quisquis cum judicio in ijs versari voluerit, revocet Stellas ad Locum & Tempus vel ipsorum Poëtarum, vel Astronomorum, quos secuti sunt. 5. Hinc fortasse iniquior fuit ille, cui Phœbi Chorus assurrexerit omnis, *Magnus Magni Patris Filius Scaliger*, Lucanum acerbiùs insimulans ἀβελτερίας, ut ipse loquitur in suis in *Manilii* Astronomica Commentarijs & Castigationibus, *Pag. 7.*

EDINBURGI, Excudebat ANDREAS ANDERSON, *Civitatis* & *Universitatis* Typographus, *Anno* DOM: MDC LXIX.